

Hermann Lembke


**Vice-Decanus Hermannus Lembke/ I.U.D. Cod. Prof. & Universit. Rostochiens. p.t. Rector ac Totus Amplissimus Ictorum Ordo. Decani Et Senioris Eiusdem Ordinis Viri Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi Dn. Laurentii Stephani, I.U.D. Illustris. Celsis. Duc. Mecklenb. Consilarii, Vice Praesidis Dicasterii Provincialis, Assessoris Consistorii Ducalis, Professoris in Universitate Rostochiensi Celeberrimi, Collegae desideratissimi Exequias Iusto Ac Summo Moerore Luget : [P.P. sub Sigillo Facultatis. die 26. Nov. Anno 1657.]**

Rostochii: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755911652>

Druck Freier  Zugang







KL-241(4)<sup>1</sup>

Oldendorp: Warhafftige entschul-  
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000



VICE-DECANUS

HERMANNUS LEOPOLD

J. U. D. Cod. Prof. & Universit.

Rostochiens. p. t. Rector

ac

TOTUS AMPLISSIMUS JCTORUM

ORDO,

DECANI ET SENIORIS

Ejusdem Ordinis

VIRI

*Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi*

DN. LAVRENTII

STEPHANI,

J. U. D. Illustris. Celsis. Duc. Mecklenb.

Consiliarii, Vice Præsidis Dicasterii Provincialis,


Assessoris Consistorii Ducalis, Professoris in

Universitate Rostochiensis Celeberrimi,

Collegæ desideratissimi

EXEQUIAS


JUSTO AC SUMMO MOERORE LUGET.



ROSTOCHII

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.





TOICÆ disciplinæ sectatores, cum omne perturbationum genus, tum *dolorem* maximè damnabant, eumq; ab homine, virtutum studioso, alienum esse oportere arbitrabantur. Docebant igitur nil magis a fortitudinis laude remotum, nil contra ignaviæ tam congruum esse, quam calamitates & nece aliorum luctu prosequi. *BIAS Prieneus*, cum Patriâ *PRÏENE* ab hostibus occupatâ, spoliis devastatâ, conjuge crudelitur interfectâ, liberis in servitutè actis, domo incendio consumptâ, omnibus fortunis exutus, & præter vitæ usuram nihil reliquum habens, *ATHENAS* profugeret, tantum abest, ut tristitiæ quoddam saltem signum ederet, ut nescio quam non potius animi hilarioris speciem præ se ferret. Quæ de re obviis fortè nonnullis, qui miseram hominis conditionem sortemq; probe nossent, stupentibus, quidq; ista in tantâ calamitate lætitia sibi vellent, sciscitantibus, *si qui*, regessit, quod patriâ, quod Conjuge, domo, liberis, bonisq; omnibus orbatus sim, aliquid meorum me perdidisse, ideòq; contristari oportere antumant, ij neq; fortuna quid sit, sciunt, neq; rectè de Philosophiâ sentire videntur. Hæc de casu suo *BIAS*. Ex cujus responso plurimis nata admiratio; apud nonnullos quoq; vehemens præterea æmulandi studium extitit. Sanè vel in ipso Christianæ Ecclesiæ gremio reperire fuit, quos adeò ista mentis obfirmatio juvaret, uti non minimam Christianismi partem in eo sitam existimarent esse, si vitâ functos nullo ad mæsticiam composito animo prosequerentur. Cæterum delira est illa opinio, humanitatem certè & naturam ipsam impugnat. Nos quidem muliebri planctu ejulatuq; urgendos mortuos o esse arbitramur, ne forte è Comædia ita nobis servulus occinat.

*Here, si querelis, ejulatu, fletibus  
Medicina fieret miseris mortalium,  
Aut paranda lacrima contra forent:*

*Nuns*



*Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,  
Quàm vania Præsticæ ad excitandos mortuos.  
Res tardivæ consilium, non planctum experunt.*

Interim nec ita duri aut ænei fumus tamen, ut nullo omnino vel nostræ, vel aliorum calamitatis sensu tangamur, sive omnem penitus mœrorem, aut pro re natâ, lacrimas etiam in Amicorum funeribus ejuremus, quæ lugendo potius efferrimus, doloremq; nostrum, quantum unquam licet, & pium est, vel publicè contestamur. Annus est, & paullo amplius, quum in HINRICO SCHUCKMANNO, at quanto VIRO! id FACULTAS nostra faceret, ejusdemq; exequias solenni, eaq; quâ par erat, memoriâ prosequeretur: Quin, quantam in eo cladem passâ esset, tristabundâ etiam significaret. Jam novum, heu dolor! nec id minus, inflictum nobis vulnus est; jam novo MEMBRO orbatî & COLLEGA fumus, qui idem, à nobis officium exigit, & nos meritò etiam, quum omnino in luctu iterum esse, & triste scribendi argumentum occupare oporteat, exsolvemus. Est is LAURENTIUS STEPHANI, VIR MAJORUM famâ ac meritis inclutus, sed magis virtute suâ, cujus grande ac mansurum decus quisquis celebraturus sit, extimescere profecto periculum habeat, ne, ut nubes solis radios intercipit, ita ipse subducatur facilius, quàm addat lucem. Laudibus igitur ejus non insistemus, quas melius ANNALES loquentur, sed quæ in rem præsentem factura sunt, jam statim ordiemur. Natus est GRYPHISWALDIÆ, illustri loco & Acadmiâ intra horam 7. & 8. matut. Patre VIRO Amplissimo & Excellentiss. DN. JOACHIMO STEPHANI. JOTO, Academ. Professore, Consistorii Ecclesiastici Directore, & Celsissimorum POMERANIÆ Ductum Consiliario celeberrimo; Matre BARBARA RIBOVIA, sexus sui Virtutibus Ornatissimâ, è Clarissimo RIBOVIORUM sanguine oriundâ. Avus paternus fuit HYPOLITUS STEPHANI, Civis Pyricensis laudatissimus; Avia Paterna AGATHA Burchwards, à singulari virtute ac pietate commendatissima fœmina. Avum maternum habuit LAURENTIUM RIBOVIVM, Reip. Gryphiswaldensis Senatorem spectatissimum: Aviam Maternam CATHARINAM Sûmings/Reverendi & Clarissimi VIRI, DN. JOHANNIS Sûmings/apud Stralsundenses Verbi divini Ministri quondam solertissimi, filiam, morum viræq; integritate admodum conspicuam. Hæc est familia, è quâ DEFUNCTUM prodisse accepimus, satis profecto honorata & celebris. Cæterum non alium optimi Parentes genuerant, quàm carnis sordibus,

& pec.



& peccato Originis (quod commune nobis omnibus vitium est) implicitum. Pro in Sanctissimo Baptissimi lavacro lotum ac regentum, SERVATORI CHRISTO, ejusq; Ecclesiæ inferendum curarunt. Deinde (quod alterum ipsorum studium fuit) fundamenta ac noticiam salutis per Redemptorem nobis partæ, sensim ei instillarunt; ad timorem Domini, morum elegantiam, vitæq; sanctimoniam tum voce, tum suo ipsorum exemplo viam præverunt. Traditus dein Præceptoribus, qui puerum iis artibus, quibus prima imbuere ætas ut plurimum solet, erudirent. Prodeuntibus aliquantulum annis, VIRIS Clarissimis DN. M. JOANNI WAGENERO / & DN. M. JOANNI STURMIO, isti Logices, illi Mathematicos in Acad. Gryphisw. Professoribus, commissus est, à quibus Græcæ & Latinæ linguas doceretur. Pubes & jam ejus ætatis factus, quâ deligere quisque suevit, quam vivendi rationem sectari sive viam ingredi velit, naturæ quadam inclinatione JURIS studia, è quibus. Parens JOACHIMUS, patruusq; MATTHIAS STEPHANI, tantam nominis celebritatem consecuti essent, ipse quoq; amplexus est; in quibus jam domi (neq; enim implumis evolârat) aliquot, & quidem egregia specimina ediderat. Sed ut eò feliciter, quod cæperat, perficeret, non jam diutius in patriâ sibi subsistendû ratus, præcipuas GERMANIÆ Academiâs, inq; iis docentes præclarissimos Professores adiit. Venit initio in ROSTOCHIENSEM hanc nostram; & sic satis diu in eâ commoratus, ordine ad alias perrexit; WITBERGENSEM sc. LIPSENSEM, JENENSEM, ARGENTORATENSEM, MARPURGENSEM, GIESSENAM, & deniq; HEIDELBERGENSEM; quamquam antè, quàm huc veniret, SPIRÆ per semestre substiterat, ut, quo pacto CAMERÆ sese judicium haberet, & processus ejusdem dirigerentur, addisceret. HEIDELBERGÆ, sub DIONYSII GOTHOFREDI, maximi Professoris, & Juris Civilis Glossatoris celeberrimi, præsidio, pro Gradu DOCTORIS summâ cum laude suâ disputavit, & dignitatem etiam haud diu post, Diribitore Amplissimo & Consulissimo VIRO, DN. D. DANIELE NEBELIO P.P. in frequentissimo cætu consecutus est. Jam revocare domum Parentes Filium cæperant, ubi de diversâ juris Civilis & Feudalis materie institutis, inq; publicam lucem productis disputationibus, non minimam sibi famam nominisq; honorem comparavit. Tandem de domicilio & fixâ sede cogitandam LAURENTIO erat, quam MECKLENBURGUM, ei nostrum præbuit, & de Coniuge, quâ ne optari quidem elegantior

poterat



poterat, felicissime prospexit. Juncta est ipsi ANNA COTMAN-  
NIA, inuitate formæ ac virtutis famina, incomparabilis sum-  
miq; ERNESTI (de quo VIRO quicquid dixeris, minus erit)  
filia. Cum hac numerosa, inq; XIV. utriusq; sexus Personis  
consistens, nata ei proles est; sc. 1. JOACHIMUS 2. BAR-  
BARA 3. MARGARITA-ELISABETHA 4. ELISABE-  
THA 5. ANNA 6. ELISABETHA 7. ANNA 8. ERNESTUS  
9. LAURENTIUS 10. JOACHIMUS 11. BARBARA 12. CA-  
THARINA 13. ERNESTUS 14. LAURENTIUS. Pleriq; jam cælo,  
undè delapsi erant, redonati dudum sunt. E quatuor filiabus,  
nim. I. MARGARITA ELISABETHA, nuptâ primam Clariss.  
& Consultiss. DN. HINRICO SULTMANNO, J. U. D. dein  
VIRO Ampliss. DN. D. DANIELI SANDOVIO, Advocato cele-  
berrimo: II. ELISABETHA secundâ, junctâ initio Consultiss. &  
Excellentiss. DN. D. LAURENTIO MARQUARDO, Soceri  
quondam in Facultate nostrâ Substituto; postq; eum defunctum,  
VIRO Amplissimo & Excellentissimo DN. HINRICO RAHNIO,  
J. U. D. & Profess. Consistorii it. Ducalis Adfessori gravissimo,  
Collegæ & amico nostro honorando: III. BARBARA, Nobili &  
strenuo, DN. JOACHIMO CLINGIO, Equitum Magistro for-  
tissimo, elocatâ: IV. CATHARINA, Ampliss. & Consultiss. DN.  
JOACHIMO RISMACHERN J. U. D. Cos. ac Syndico Gultroviensi,  
Advocatô item judiciâ Provincialis Clarissimo, concreditâ: Ex his,  
inquam 4. filiabus prolixam Nepotum Neptiumq; seriem, non sine  
ingenti animi voluptate, vidit Pater optimus. In JOACHIMO filio  
& Juris & Matrimonii jam Candidato, maximam spem non abs re,  
(ite enim omnia sese initia dabant!) posuerat. Sed juvenem feralis  
furiosissimi hominis globus nihil tale opinantem, aut meri-  
tum, in medio foro nostro, nec obscurâ admodum luce, transfodit,  
ut ista quidem spes Parenti cuncta perierit. Incredibile dictu  
credituq; quàm post eum casum imminui corpôris vires, & quasi  
prosterni quotidie VIR videret: quanquam eam in rem maximum  
etiam momentum afferebat, quod Charissimam CONJUGEM,  
quâ cum totos XLIV. annos pacatissime amicissimeq; vixerat, ante  
annos tres amitteret, inq; viduû statum istâ ætate, quâ uxore maxime  
omnium opus erat, conyoceretur. Ita de Conjugio MECKLEN-

BUR-



BURGUM LAURENTIO prospexerat. Sed annè nil ampli' in ho-  
minem contulit? Sanè Contulit. Nam maxima in eà terrà, & am-  
plissima munera sustinuit, varios in eà summosq; honores gessit,  
ad quos sensim & per gradus ivit, ut tandem in fastigio subsisteret.  
Vidimus ipsum Soceri ERNESTI in Acad. & Facultate nostrâ sub-  
stitutum, publiceq; profitentem; vidimus ordinarium Juris Pro-  
fessorem, & Consistorii Ecclesiastici, imò etiam judicii Provinci-  
alis Adfessorem; vidimus Serenissimi PRINCIPIS Consiliarium;  
vidimus Cancellariæ Directorem; vidimus deniq; vice in Judi-  
cio Sternbergensi-Præsidem. Deus bone! quanti honores, quanta  
in unum hominem collata officia: Ille omnia tantâ fide, dextertitate  
atq; vigilantia administravit, ut non saltim gratia ei debeat, quan-  
ta de Rep. benè merentium ulli, verum etiam memoriæ ac nomini  
æternum merito habereri honorem oporteat. Mensis est unus,  
itemq; alter, ex quo malè habere, & corripì morbo cæpit. De quo  
MEDICI Judicium adscriberemus, ni justò foret prolixius, neq; nos  
nesciremq; *senectutem ipsam per se morbum esse*. Aucta *κακότης* est, ut  
lecto affigeretur Æger. Adhibita omnia sunt, ut convalesceret, re-  
media, quibus tamen nihil profectum est. Quum igitur rem recupe-  
randæ Valetudinis desperatam esse, & ultimum vitæ terminum,  
Propè abesse SEPTUAGENARIUS ad verteret, ad *Εὐθανάσιαν* se  
Præparabat; quam profectò curam nullo etiam alio tempore ne-  
glexerat. Quum caussarium corpus nullo posset, animam refecit  
eo medicamine, quod non quidem adversus corpoream, sed, si  
rectè adhibeatur, spiritualement mortem validissimum est præsidium.  
Cenâ, inquam, Dominicâ pavit se, eoq; tanquam preciosissimo  
viatico, isti, quod mox conficiendû instabat, itineri præparavit. Post-  
modum legit, cecinit, precatus, meditatus est. Nulla ei in ore fre-  
quentior vox erat, quam JESUS; & cetero qui nullâ de re alia, nisi de  
futuro seculo, & Cælestium, quibus brevi admiscendus foret,  
egregiâ conditione, disserentem, qui præsto erant, audiere. O præ-  
clarum illum, inquit, diem, cum ad illud divinorum animorum  
conciliû cærumq; proficisceretur, cumq; ex hac turbâ & colluvione  
discederet. Quid enim habere vitam hanc commodi, quid non potius  
laboris? sed haberet sane: habere certè tamen satietatem aut modum.

Quod



Quod si igitur quis largiretur, ut ex istâ ætate repuerasceret & in cunis vagiret, valdè recusaturû; neq; enim velle quasi decurso spatio, à calce ad carceres revocari. Veniret igitur saltem DOMINUS, nec cunctaretur: Satis se hic diu vixisse, & ita quidem, ut vixisse non poeniteret, aut frustra natum esse arbiraretur. Jam ex vitâ hæc tanquam hospitio, non tanquam ex domo (quod commoran si natura nobis diversorium, non habitandi locum, reliquisset) maximo animi cum pro lubio discessurum. Præclare & divinè omnia, LAURENTIO etiam, *homine in vitâ & morte consentaneo*, i.e. utrobq; CHRISTIANO, dignissima. Maxima profectò moriendi virtus est, lubentem mori. Nemo, nisi malus, mortem deprecetur, aut fugiat. Ex captivis SOGDIANORUM apud ALEXANDRUM M. triginta nobilissimi, corporum robore eximio præditi, erant, qui ut per interpretem cognoscerent jussu Regis ad supplicium sese trahi, carmen lætantiû more canere, tripudiisq; & lasciviori corporis motu gaudiû quoddâ animi ostentare cæperunt. Admiratus Rex tantâ animi lætitiâ mortè oppetere, evocari eos jussit, causam tam effusæ lætitiæ, cum supplicium ante oculos haberent, sciscitatus: illi, si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse, respondent; nunc à tanto Rege, victore omnium gentium, Majoribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes voto quoq; expererent, carminibus sui moris, lætitiâq; celebrare. Quid Christiani faciemus, ipso DEO nos ad vitæ exitum vocante, cum Ethnici, & Barbari quidem, magnitudine Regis, sed hominis saltim, inducti, mortem sibi gratulentur? Quantus in moriendo artifex NOSTER fuerit, jam jam dicebamus. Mortuus est LUBENS, PIUS, BEATUS; mortuus, ab omni parte est, ut (quod de METELLO Vellei. Paterc. hist. lib. i. usurpat) feliciter magis de vitâ migrare, quam mori videretur. VIRUM PRINCEPS, PROVINCIA, RESPUBLICA, JUDICIUM, ACADEMIA, FACULTAS, OMNIS BONUS luget & desiderat; virtutemq; & merita ejus nunquam rectiûs, quam jam, ubi esse desit, metietur. *Tum demùm s. homines bona nostra intelligimus, cum, quæ in potestate habuimus, amisimus.*

Cæterum




Cæterum amplissimum funus hodiè MATRI TERRÆ manda-  
bitur; cui ut frequentissimas exequias eatis, studiosissime abs  
vobis, CIVES ACADEMICI, FACULTAS nostra contendit.  
Erit id DEFUNCTO gloriosum, & universæ Nobiliss. FAMI-  
LIÆ gratissimum; quæ ipsa vicissim bene de vobis merendi  
occasionem nullam unquam negliget.


P. P. sub Sigillo FACULTATIS.  
die 26. Nov. Anno 1657,
























the scale towards document



Quidem diversæ passim Philosophiæ  
 circumferuntur descriptiones, quas  
 singulas, & recensere, longum; & ad  
 rationis, in præsentiarum, libellam re-  
 vocare, tædiosum foret. Antiquissi-  
 mam ego primâ facio: tanquã à Philo-  
 sophorū, quos habemus, Primate la-  
 tã, omniumque, rectè philosophanti-  
 um, calculo, hactenus approbatã Pla-  
 tonis ea est, digna profectò Authore,  
 abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,  
 utatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-  
 des, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-  
 ipso falsus est, cùm, quodcumque in Philoso-  
 , circa mortis meditationem reperiamus. Mor-  
 , quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque  
 it, quales esse in morte desideramus. Ea, animum  
 quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini  
 m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-  
 , timorem pellit, tranquillitatem inducit;  
 s casuum animum varietates firmat, adversus  
 reddit, quando omnia ab eodem impedi-  
 tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim  
 quando est faciendum, statim exire, quo ali-  
 ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mort-  
 st, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm  
 terris animal, præter hominem, cognitione.

DE